




Samelbd.

0/0

die,

38



PACEM

A IESV GLORIOSO

DENVNTIATAM

DESCRIBIT

CHRISTIANVS FRIDERICVS OLPE

A. A. M. ET LYCEI TORGAVIENSIS RECTOR.




TORGAVIAE,

LITERIS RÜDELIANIS.

1767





§. I.

Belli fatalis atque exitiosi cladibus et ruinis percussi et oppressi, quid scribamus, animo vix constitutum habemus, quoniam in diuturno patriae communis luctu, squalore, situ ac vastitate, verba scribentem deficiunt, viribusque tanti doloris acerbitate fractis, mens paene omnis ac sensus omnes disturbantur. Tot urbium nobilissimarum cadauera, templa tot flammis diruta, inculti ac caesorum sanguine squalentes agri, colonis e domiciliis suis ac sedibus incendio depulsis, ciues opibus exhausti et facultatibus, tristissimo declarant euentu,

-- -- *tranquillae quam sint bona commoda pacis,
Bellaque sint terris quale cruenta malum.*

Quodsi enim, vt ait ille,

*Tum denique homines nostra intelligimus bona,
Cum, quae in potestate habuimus, ea amisimus:*

caelestis profecto beneficii magnitudinem in pace, rerum optima, non rectius capimus atque aestimamus, quam publica securitate ac tranquillitate insidiis hostium et strepitu armorum intercepta. Eo igitur maiori incendimur pacis desiderio, votisque et precibus eam efflagitamus ab immortali Numine, quo magis praeteritorum tot recordatione malorum ac praesentium cogitatione angimur. Sed, eheu, futura etiam prospicientibus ante oculos animumque obseruatur

-- -- -- *crudelis ubique
Luctus, ubique pauor, et plurima mortis imago.*

§. II.

§. II. Nostra tamen calamitas tanta non est, neque tam horribilis praesentis futuriue mali facies, ut spem fiduciamque in diuina ope collocandam prorsus abiciamus. Ipse Seruator optimus, quo ad salutem omnem dato gaudere diuinitus iubemur, animos nostros pacis excellentissimae solatio reficit, blandoque alloquio, pacem vel mediis in armis nuntiante, lacrymas, quibus suffundimur, abstergit. Praeclara enim vox *Εἰρήνη υἱῶν*, qua diuinus ille pacificator, debellatis hostibus redux et sepulcro factus, discipulos suos, moerore ac sollicitudine prostratos, semel iterumque compellat 1), non ad illorum tantummodo laetitiam solatiumque pertinet, verum abiens in saecula et personans terrarum, qua patet, orbem omnes omnino homines, felicitatis suae cupidos, delectatione afficit et recreat, Iudaeosque pariter atque exteros vocat in communis gaudii ac beatitudinis societatem.

§. III. Atque hanc quidem formulam, quam repetit Seruator, solemnem esse Iudaeis, nemo nescit. Fuit illa, quemadmodum patet ex diuino V. T. codice, vel blande salutandi 2), vel fausta precandi 3), vel valedicendi 4) formula, quae quidem prodit veterum Ebraeorum prudentiam, cuius ii grauissimo iudicio permoti, quicquid prosperum laetumque mortalibus accidit, *pacis* vocabulo complectebantur. Namque, ut praeter alios LEIGHIUS memoriae prodidit 5), *Pacis vocabulum apud illos latissime patet, idemque comprehendit, quod Graeci dicunt χαίρειν, ὑψίστην καὶ ἐπιπέπτην, hoc est, omnem felicitatem et prosperitatem, bonaque omnia, tam animi, quam corporis, nec non ea, quae fortunae*

* 2
bona

- 1) Luc. XXIV, 36. Io. XX, 19. XXI, 20. 2) Iudic. VI, 23.
XIX, 20. 1. Sam. XXXV, 6. 2. Sam. XX, 9. 3) 1. Chron.
XIII, 18. 4) Exod. IV, 18. 2. Sam. XV, 27.
5) in Crit. S. p. m. 426.

bona vocantur. Quare Iesu legati morem hunc patrium tenentes *pacis*, quanquam sublimiori sensu, saepius faciunt mentionem, quando epistolas ad coetum sacrum perscriptas piis auspiciantur votis 6), eiusdemque meminerunt aliquoties, priusquam Christianum coetum, sub finem epistolae, Seruatoris gratiae solemniter voce commendarent 7). Id respicientes primi homines Christiani in societatem Deo dicatam collecti, publicis in sacris PAX TIBI, PAX VOBIS, PAX OMNIBVS, frequenter adhibuerunt 8).

§. IV. Quamuis vero illud PAX VOBISCVM, trita vsuque peraulgata fuerit salutatio Iudaeorum, Christi tamen ore sacro et venerabili vsurpatum, habet tantum pondus ac momentum, quantum vel prudentissimus mente et cogitatione, vel eloquentissimus voce et oratione nullo modo assequi potest. Eam sane pacem his verbis Iesus denuntiat, quam Paullus, diu eius admiratione defixus, mentem omnem exsuperare testatur. Grauiissimas enim inimicitias, quae intercesserant inter Deum, malorum vindicem atque osorem, et humanum genus, sua culpa perditum caeloque iniustum,

6) 1. Cor. I, 3. 2. Cor. I, 2. Gal. I, 3. 1. Pet. I, 2. Apoc. I, 4.

7) 2. Cor. XIII, II. Gal. VI, 16. Eph. VI, 23.

8) Haec imprimis pertinet insignis ille locus CHRYSOSTOMI, Homil. III. in Epist. ad Coloss. laudatus a SVICERO, in *Theol. eccles.* p. 1032. BINGHAMO, in *Orig. eccles.* Vol. VI. p. 154. 155. et a SEELEN, *Meditatt. exoget.* P. III. p. 883. "Όταν εισέλθῃ ὁ τῆς ἐκκλησίας προεσῶς, εὐθὺς λέγει, Εἰρήνη πᾶσιν. Όταν ὀμιλῇ, Εἰρήνη πᾶσιν. Όταν εὐλογῇ, Εἰρήνη πᾶσιν. Όταν ἀπαγγέλλῃ κελύει, Εἰρήνη πᾶσιν. Όταν θυσία τελεσθῇ, Εἰρήνη πᾶσιν. Καὶ μετὰ τοῦ πάλιν, χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη. Ibidem inquit: Ἐν ταῖς ἐκκλησίαις εἰρήνην, ἐν ταῖς εὐχαῖς, ἐν ταῖς ληΐταις, ἐν ταῖς προσήσεσι, καὶ ἀπαξ, καὶ δις, καὶ τρις, καὶ πολλὰκις αὐτῇ διδώσιν ὁ τῆς ἐκκλησίας προεσῶς, Εἰρήνη ὑμῖν ἐπιλέγων.

iam esse sublatas ac deletas, se ex sepulcro redeunte, Seruator
hac salutatione luculenter ostendit, eoque negotio ab se
praestitum, quod neque ab vlllo mortalium fieri poterat, ne-
que omni vi mentis intenta ab vlllo indicari, quomodo sit
ab ipso Deo efficiendum.

§. V. Affert igitur clementissimus ille hominum affer-
tor ac liberator mundum Deo concilians, pacem, quam
vocant *spiritualem*, eamque ratam esse et confirmatam, in-
primis declarat suo in vitam reditu. Nam etsi is legem di-
uinam, ad quam tantum abest, vt homines suas attemperet
actiones, huic vt potius, corruptae naturae vitio, non pos-
sint non morose refragari, sponte vltroque impleret; etsi
poenas atrocissimas hominibus irrogandas, ipsamque, qua
hi puniendi erant, mortem subiret; etsi pacem ipse faceret,
sanguine in cruce effuso: huius tamen pacificationis, qua sola
vindicari poteramus ab interitu, qua sola poteramus caelo
reddi, nemo fuisset certus, nisi vincula mortis rupisset Chri-
stus, nostri causa morte mulctatus. Nunc autem, vade hu-
mani generis e vinculis dimisso, quod fieri haud potuisset,
nisi vadimonio ex asse ab ipso praestito; quis tam iniquus
ac demens est, vt Numen sanctissimum, reos adhuc in ius
rapiendo, criminum poenas bis repetere posse, persuasum
sibi habeat? Ipsa etiam Seruatoris vox *Eugeni iunioris*, qua, ante-
quam e tumulo surgeret, neminem allocutus legitur, non ob-
scure videtur prodere, pacem diuinam hominibus post eius
demum resurrectionem collatam et confirmatam. Quae cum
ita sint, facile vides, quam felicitatem complectatur illa pax
spiritualis. Tollit iras offensi iudicis, minas iam ponit ac
fulmina

fulmina peccatorum conciliatumque Numen, meritoque Christi Pacificatoris fretos in sinu fouet ac tuetur paterna caritate complexos. Huic tantae felicitati quid habes, quod addas? Tam dulcem fructum praebet iustificatio, cuius qui particeps factus est, pacem habet cum Deo.

§. VI. Ea pace tam insigni ac diuina magnus ille pacis princeps, luci ac vitae redditus, donare ac recreare voluit gentes omnes ac nationes. Hac mente non solum eam eunctis parauit merito suo, vitaeque recepta communiuit, verum etiam septo, quod Iudaeos ac gentes profanas diiunxerat, abrupto, eos in vnam societatem conuocauit, vti Paullus Eph. II, 14. 15. monet. Etenim sublatis odiis atque inimicitiiis, quibus gentes inuisae erant Iudaeis, Iudaeique gentibus, pacem inter vtrosque constituit *eccelsusticam*, abrogando legem caerimoniarum vmbri inuolutam, nunc, sole ipso iustitiae singulis hominibus exorto, superuacua. Eandem vero pacem, qua Iesus communi vinculo iunxit terrarum populos, in coetum vnum Deo sacrum collectos, his verbis *Εὐαγγέλιον ὑμῶν*, contineri Io. XX, 21. prono quasi alueo fluit e dictis eius proxime cum hac salutatione connexis. Namque v. 21. et 23. haec elocutus Spiritu diuino discipulos in terrarum orbem euangelii propagandi causa emittendos afflat, potestate ipsis data pacem ac veniam pro sua cuilibet conditione, nullo gentis cuiusdam respectu habito, vel impertiendi, vel remorandi. Idemque facit caelos ascensurus legatis suis imperans, vt vel in remotissimas terrarum partes abeant ad populos omnes salutari doctrina instruendos, Christianisque sacris initiandos, Matth. XXVIII, 19. Neque dubitandum, quin, sapientissimis adductus causis, Deus tam diu nationes exterarum voluerit a populo Iudaeorum seiunctas, donec aduenerit ille pacificator, cui, perfecto reconciliationis opere, gentes adhaerescant.

§. VII. Grauiſſima etiam Seruatoris vox, quam paullo ante celebrauimus, tam effuſam felicitatem aſſert mortalibus, vt *ciulem* quoque pacem, cunctis exoptatiſſimam, comprehendat. Animos nempe hominum doctrina ſua Chriſtus ad mutuam amorem ita impellit ac mouet, vt non alia magis virtute aſſeclas ſuos internoscat, quam, qua ſe inuicem proſequantur, caritate. Id quidem haud diſſimulandum, pacem Chriſti et mundi toto caelo diſſerre, quod ipſe reſtatur Io. XIV, 2. longe aliam ſe pacem dare pronuntians, quam ſoleat mundus 9), neque diſſidendum, fuiſſe omnibus temporibus inter Chriſti ſocios, qui maximis odiis concitarentur, et dignitate Chriſtiani nominis dementius abiecta, faeuirent in ſua ipſorum viſcera. At enim contentiones ac diſſidia in coetu Chriſtiano iniuſte conflata, nemo ſanus repetit ex doctrina a Ieſu tradita, quae quidem plane ſuadet aliud; verum culpam omnem tanti facinoris tribuit perſito ipſorum ingenio, cui morem gerentes iniuſta ſumferunt arma. Seruator tamen praepotens animis belligerantium imperat, eosque vi diuina excitat, vt, hoſtili ardore poſito, in mutua pacis foedera facile coaleſcant. Eiuſmodi proſecto auctor et largitor pacis, cum Deo et hominibus ſanciendae, quae vel acutiſſimi captum excedit omnem, multo facilius ſolo nutu impetrare atque efficere poterit pacem inter homines bello diſſociatos reſtaurandam.

§. VIII. Nos, exitioſi belli cladibus attriti ac miſeriis paene infinitis demerſi, aegros ad te vultus, indulgentiſſime Seruator, attollimus, tuumque Numen veneramur ſupplices, fac, andem ſubleuemur ſuauiſſima oris tui conſolatione, fac, mox deſcendat de caelo tot votis petitum ac precibus PAX

VOBIS.

9) Quantum diſcrimen intercedat inter illam vtramque pacem nuper expoſuit immortalis WEICKHMANNVS, in Programme Ieſu natalibus ſacro ad A. CIOIOCLX. p. 27. 28.

VOBISCVM. Adspice patriae dilaceratae ac laniatae vulnera, adspice tetram vastamque solitudinem, in quam regiones antea florentes, nunc incendiis, caedibus, rapinis, redactae sunt. Paca Germaniam, bello diuturno fatigatam, paca Saxoniam, tantis tempestatibus ac fluctibus diuexatam., Fac, euanescat mox terribilis illa species inmanitatis, vt patria pristino decori reddita surgat e cineribus ac ruinis, et PATRIAE PATER LONGE CLEMENTISSIMVS, veluti nouum sidus caelo exortum, nostris terris illucescat. Haec inter pacis desideria quinque ex nostrae disciplinae alumnis orationes publicae recitabunt:

IOANNES ANDREAS MARTINI, Torgauensis, haecenus chori musici praefectus, memor adhuc Iesu ex sepulero prodeuntis, Ionam ventri piscis inclusum cum Christo in terrae visceribus sepulto, comparabit oratione latina: grati vero religionem animi ex schola diicidens lingua vernacula significabit, SCHROEDERI simili collaudato in discipulos huius Lycei beneficio.

IOANNES GOTTFRIED THOMAS KOCH, Torgauensis, de felicitate prouinciarum ex praesentia Principis, verba faciet, votis solemniter nuncupatis pro SERENISSIMI REGIS NOSTRI in patriam reditu.

His felicem abitum in Academiam Lipsiensem gratulabitur

GOTTFRIED KILIAN STARITZ, Welfania-Misnicus, disquirens latinis verbis, quae sint de mortuorum resurrectione rationi cognita.

Coronidem huic exercitationi publicae imponent

IOANNES GOTTLOB SCHVEFFENHAVER, Roeknitio-Misnicus, et

CAROLVS CHRISTIANVS IOANNES SCHRECK, Domitienensis, dialogo versibus germanicis concepto, de spe pacis diuinitus nobis concedendae ita disputantes, vt alter plus timoris, alter fiduciae plus ostendat, sed utriusque tandem Deo consilii solemniter concipiant vota.

Quibus quidem orationibus iuuenilibus auscultandis, vt GENEROSI MUSARVM PATRONI, PRAESVL SACRORVM TORGAVIENSIVM SVMME REVERENDVS, AMPLISSIMVS SENATVS, SACERDOTES FIDELISSIMI, et quicumque scholasticam iuuentutem in deliciis habent, floremque scholarum adiuuant, crastino die, hora ante meridiem nona, in primae classis auditorio frequentes intersint, suae praesentiae huic actui splendorem concilient ac dignitatem, summa, qua deceat, obseruantia rogamus. Scrib.

in Lyceo Torgauensi, die VI. Maii A. O. R. MDCCCLXI.



AB: 155056

VD 18

ULB Halle 3
003 085 112




TA → SL
was 75 flut /

R

VD 17







CHRIST A I

38

OSO

OLPE

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

inches
1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

